



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Liber II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**





DE STATV  
RELIGIONIS  
CHRISTIANÆ

PER ASIAM,

LIBER II.

DE ASIAE STATV IN  
*communi.*

CAPVT I.



ASIA, inter tres Orbis partes veteribus notas, omnium latissimè patet. Eam hodie partim Turcæ, partim Persæ, partim Moscouitæ, partim Tartari, partim Rex Catholicus in Indijs cis & ultra Gangem, alijque Principes ac populi possident. Ex his alij sunt Christiani, Orthodoxi aut Schismatici, alij Mahumetani, alij Idololatræ, alij Iudæi.

I 3

CA-



## CAPVT II.

## DE IACOBITIS.

**I**N Oriente variæ sunt nationes hominum Christianorum, vt *Iacobita*, *Maronita*, *Nestoriani*, *Armenij*, *Cophti*, *Melchita*, *Georgiani*, & alij, partim orthodoxi, partim schismatici.

*Iacobitæ* dispersi sunt per ciuitates, terras & opida *Syriæ*, *Mesopotamiæ*, & *Babyloniæ*, alijs nationibus mixti, & numerum quinquaginta millium familiarum facillè excedunt; pauperculi plerique ac quotidiano labore victum quæritantes. In *Aleppo* tamen & *Caramet*, multæ sunt diuites & honestarum facultatum familiæ, aliæque mercaturam exercentes. Ecclesia Patriarchalis huius nationis est in *Mesopotamia*, extra urbem *Moradin*, in monasterio *Zafra*: sed Patriarcha residet in vrbe *Caramet*, ad maiorem sui ac suorum commoditatem & quietem. Sub eius obedientia viuunt hodie *Ierosolymitanus* & *Musalensis* Metropolitanus, *Damascenus*, *Edeffanus*, *Cyprius* & *Caramitanus* Archiepiscopi, itemque Episcopi in *Atafra*, *Salach*, *Tarach*, *Maaden*, *Hartbert*, & alij non pauci.

De *Iacobitis*, eorumque erroribus vide plura in nostra *Notitia Episcopatuum* lib. I. cap.



cap. 15. & infra cap. 5. ex Petri Strozæ Disputatione de Chaldæorum dogmatibus.

## CAPVT III.

## DE MARONITIS.

**M**aronitæ Pontificis Romani doctrinam constantè obseruant, & Libanum Syriæ montem ferè incolunt. Nonnulli tamen & Damasci, Aleppi atq; in Cypro agunt. Horum omnium Patriarcha sedem habet in monte Libano, in loco, qui dicitur *Chenubin*, siue in cœnobio monachorum ordinis S. Antonij, quod XX. passuum millibus distat à Tripoli Syriæ vrbē, mercatu celebri. Huic suffraganei sunt octo aut nouem Episcopi, vtunturq; linguâ Chaldæâ in sacris, Arabicâ autem vulgariter. Nationis huius Patriarcha, Innocē. III. Pōtifice, Cōc. Lateranensi interfuit. Maronitarum hodie Patriarcha titulum Patriarchæ Antiocheni ambit, allegatq; diplomata à Paulo II. Hadriano VI. alijsq; Pontificibus data. In Hadriani VI. diplomate XXII. die Octobris M.D. XXII. dato sic legitur: *Venerabili Fratri Petro Patriarchæ, sedenti supra sedem Antiochenam.* De his plura vide apud Vitriacum lib. 1. cap. 78. Tyrium lib. 22. cap. 8. & Baronium tom. XII. Annaliū, in fine an. M. C. LXXXII.



Maronitæ habent Romæ Collegium in-  
figne, à Gregorio XIII. excitatum ac do-  
tatum, quod Patres Soc. Iesu moderan-  
tur.

## CAPVT IV.

## DE NESTORIANIS.

**N**estoriani, à Nestorio hæresiarcha  
iam olim damnato sic dicti sunt. Est  
ea natio, inter Christianas Orienta-  
les, longè numerosissima ac copiosissima,  
duobus Patriarchis subiecta. Eorum alter,  
Babylonis Patriarcha nuncupatus, residere  
solet in monasterio S. Hermetis, apud opi-  
dum *Musal*, in prouincia Babylonæ; &  
fuit is hæctenus schismaticus, vsque ad tem-  
pora Pauli V. Papæ, quibus Elias Patriarcha  
Babylonis ad communionem Ecclesiæ  
Romanæ redijt: vt sequenti capite do-  
cebo.

Alter, Assyriorum Orientalium Patriar-  
cha nuncupatus, primùm in *Caremet*, postea  
in *Zeinalbach*, in confinibus Perfidis, re-  
sedit, vbi hodieque residet, potentia ce-  
dens Patriarchæ Babylonis. Assyriorum  
porrò Orientalium Patriarchæ, iam inde à  
temporibus Iulij II. Papæ, fuerunt or-  
tho-



thodoxi; videlicet *Simon Sulacha*, à Iulio III. ordinatus; *Abdiesu*, qui Concilio Tridentino interfuit, *Abathalla*, eiusque successor *Donha Simon*, qui anno 1582. Pallium Patriarchale à Gregorio XIII. obtinuit, qui que primus ex Caremet in prouinciam Zeinalbach secessit. Vbi hodieque residet alter *Simon*, *Donhæ* successor. De vetustis Nestorianorum erroribus vide nostrâ Notitiam Episcopatum lib. I. cap. 16.

## CAPVT V.

DE NATIONE CHALDAEORVM,  
qui hæctenus vocati sunt Nestoriani,  
deque eorum Patriarcha in  
Babylone residen-  
te.

**C**Haldæorum gens olim sapientia, opibus, imperio ad eò celebris, hodie misera seruitute oppressa, Turcis ac Persis subiacet; diuersisque nationibus admista, Mesopotamiam incolit, per vicinas regiones, Indiam vsque Orientalem, dispersa, Christi fidem profitetur; sed erroribus infectam grauissimis, pro quorū differentia Chaldæi quoque inter se diuiduntur. Nam alij ex ipsis appellantur *Iacobitæ*, alij *Nestoriani*.



*Iacobitæ.**Nestoriani.*

Iacobitæ à Iacobo Dioscori discipulo dicti, hæresim Eutychnam sequuntur, quamquam Eutychem anathematizent. Nestoriani Nestorianam; atque vtraque pars proprium habet Patriarcham.

*Leonard.  
Abel.  
1583.*

Qui Iacobitas regit, Antiochenum se Patriarcham nominat, etiamsi minimè illam ecclesiam obtineat: sed in Amed, seu Charomet resideat; quæ ciuitas est valdè nobilis, & ampla in Mesopotamia. Ad quem Gregorius XIII. Nuncium Apostolicum misit, cū confirmatione Patriarchatus, ac Patriarchali pallio *Leonardum Abelem*, Episcopum Sidoniensem, anno salutis M.D.LXXXIII. spe motus, quam in eo excitauerat reconciliationis illius Patriarchæ, cum sancta Apostolica sede, *Nehemes* eius frater, olim & ipse Iacobitarum Patriarcha, qui declinandæ Turcarum persecutionis causa ad Gregorij charitatem confugerat. Legationis suæ successum parum felicem, Episcopus Sidoniensis in Italiam reuersus, infecta re, renunciauit postea Sixto quinto, cōmentario diligenter cōscripto, in quo multa scitu digna leguntur de hac natione.

*Babylon.**Musal.*

Nestorianorū aut Patriarcha Ecclesiæ Babylonis præest, eiusq; residentia locus est Monasteriū ad opidū *Musal*, in ruinis antiquæ Niniuis, vt aiūt, ædificatū. Dissidēt inter se Iacobitæ, atq; Nestoriani odio implacabili:



cabili: sed Nestoriani numero atque opibus præstât, quorû ad trecéta millia, & ampliùs domorû recēsentur: cū familiæ Iacobitarû numerû octoginta millium non excedant. Itaque Patriarchæ Nestorianorum amplifima est auctoritas, eaq; in Indiam se Orientalem extendit.

Nam Chaldæi, qui Goæ, Cochini, Angamalæ, atq; in insula S. Thomæ ante aduentû Patrû Societ. Iesu reperiēbantur, oēs pariter professione Nestoriani, obediebant Patriarchæ Babylonis. Nunc quidē magna eorû, pars studio ac diligentia dictorû Patrum Soc. Iesu, ad Ecclesiã S. Catholicã reuerfa sūmū Pontificē colit: defunctoq; nuper Metropolitano Chaldæo, successorē ab Apostolica sede suscepit Archiep. Angamalensē à Clemente VIII. ex Soc. Iesu ordinatum.

*Angamalensis Archiep. in India.*

Ante Pontificatû Iulij III. nomen huius Patriarchę ignotû penè nostris fuisse videtur: neq; de ipso, neq; de Chaldæorû natione mentionē vllã factã fuisse in Pontificum Romanorû monumētis reperio. Sedēte verò Iulio III. cū nōnulli ex Chaldæis Nestorianis se ab obediētia Patriarchę subtraxissent, detestataq; Nestoriana hæresi in communionem venissent Catholicę Ecclesiæ, illis summus Pontifex, vt postulauerant, Patriarchã ordinavit eundem, quē ipsi hac de causa legauerāt; *Simonē Sulacham*, ordinis S. *Sulachã*. Pachomij monachum. Is



*Affyrj  
orientales.*

Is cum Patriarchali pallio, atque titulo Patriarchæ Affyriorum Orientalium ad suos redijt; & in Charemet siue Amed residens, Archiepiscopos & Episcopos ac sacerdotes quàm plurimos ordinavit. Sic igitur Chaldæorum natio, vni Patriarchæ Babylonis vsque ad illa tempora subiecta, in duas partes diuisa fuit.

*Abdiesu.*

Sulacha deinde à Turcis, aduersariorum operâ, vt fertur, è viuis sublato, sufficitur in eius locum *Abdiesu*, eiusdem ordinis monachus, vir mirificæ eruditionis, linguarum varietate, & sacrarum literarum notitia insignis: de quo in vita Pij IV. præclara fit mentio, cuius Pontificatu Romam venit pro confirmatione, qui & Tridentino Concilio interfuit. Eius autem effigies depicta conspicitur in aula Regia palatij Vaticani, inter Cardinales, cæterosque Prælatos Alexandro III. assistentes, Imperatorem Fredericum pœnitentem Venetijs recipienti.

*Abathalla.**Donha Simon.*

Plurimum quidem profecit *Abdiesu*, multosque ex Nestorianis ad Ecclesiam Catholicam conuertit, acceptamque ab Apostolica sede auctoritatem valdè propagavit, quam eius successores postea conseruare sibi aut nescierunt, aut nõ potuerunt. Nã qui ei successit *Abathalla*, & ipse monachus eiusdem ordinis, parum vixit, & *Donha Simon*,

po-



postea ex Archiepiscopo Gelu & Seert factus Patriarcha, nec doctrina, nec ætate idoneus tanto muneri; tempore, quo Leonardus Episcopus Sidoniensis in Orientem profectus est Nuncius Apostolicus, relicto *Charemet*, vbi alij Patriarchæ Orientalium Assyriorum resederant, in Prouinciam *Zeinalbach* secesserat ad fines Persidis; potentia cedens Patriarchæ Babylonis. Quo loco etiam hodie manet eius successor *Simon*. *Simon.* *Simon.* ac numero subiectorum, vt accepimus, prædecessoribus longè inferior.

Ita vt Patriarchæ Babylonis status nunc videatur in pristinum restitutus, æmulo sponte sua quasi in exilium relegato. Igitur qui modò sedem Babylonis obtinet, *Mar Elias*, Chaldæorum Patriarcha, multò minùs, quàm prædecessores sui, domestico diffidio laborat, subiectamque sibi nationem pacificè gubernat; Metropolitibus & Episcopis, Cleroque non modò illi obtemperantibus, sed ipsum valdè diligentibus.

Sic ferè Petrus Stroza, Paulo V. Papæ à Secretis, in sua Disputatione de Chaldæorum dogmatibus, quam anno 1617. Romæ & Colonix publicauit.

Ceterùm Leonardus Abel patriâ fuit Melitensis, adeoque idiomatis Arabici peritissimus, quod ea in insula est vernaculum:



lum: obijrque Romæ anno Christi 1605. aut sequenti. Ex eius manuscriptis commentarijs, de Orientalium nationum Christianarum statu, nos multa publicauimus in Notitia Episcopatum, typis Platinianis edita. Exstant autem commentarij isti manuscripti Romæ, in Bibliotheca instructissima Cardinalis Ascanij Columnæ, quam libris Guilielmi Sirleti, itidem Cardinalis, mirificè auctam is gentilibus suis reliquit. Fuerat idem Columna protector ac curator omnium nationum Orientalium, temporibus Gregorij XIII. Papæ & successorum.

## CAPVT VI.

## DE CONCILIATIONE FIDEI

*Chaldaeorum cum fide S. Romanae Ecclesiae, de quæ obedientia Paulo V. Papæ præstita, per Eliam Patriarcham Babylonis.*

**C**ontigit (ita disponente diuina providentia) vt inter eos pauperes, quibus anno primo Pontificatus sui Paulus Quintus, solenni ritu, pedes lauit, quinta feria Maioris hebdomadæ, duo reperirentur Chaldæi, vnus monachus, alter



alter laicus, qui Sanctorum Apostolorum limina visitaturi paulò ante Romam venerant.

Hi postea domum reuersi, cum renunciassent Elię Babylonis Patriarchę, cuius obedientię subiacebant, quanta paterni amoris significatione eos Summus Pontifex excepisset, eiusque nomine nonnulla munera illi attulissent; & libellum reddidissent professionis fidei, quę Orientalibus ad urbem venientibus credenda, confitendaque proponitur, ipse tanta in se suosque commotus charitate, quamprimum legatos ad summum Pontificem decreuit, qui ei gratias agerent; utque communem patrem ac dominum agnoscerent, & illius obedientię subiectum se esse significarent. Profitebatur enim Patriarcha vnum idemque cum Sancta Romana Ecclesia de fide sentire. Nam Chaldęi Sedem Babylonis ab Apostolica Sede constitutam, & subinde fidei doctrinam ab eadem accepisse; constanter asserunt.

Et quamquam manifestissimis implicati sint Nestorij erroribus atque hæresibus, ostendere nihilominus omni studio contendunt, differentiam inter nos & ipsos consistere in verbis tantummodo, non autem in sensu verborum. Legati statim



tim ac iter ingressi sunt, in latrones inci-  
derunt: itaque alios decernere oportuit.  
Multis & hi quoque calamitatibus afflicti,  
etsi Romam peruenerint, nihil egerunt, i-  
mò legationem suam suspectam reddide-  
runt. Perterriti enim, quia audiuisent quã  
execrabile esset & quàm odiosum apud nos  
Nestorij nomen, vt Nestorianæ hæresis in-  
uidiam declinarent, nonnullas abstulerunt  
paginas, ex libris, quos ad recognoscendam  
doctrinam fidei, quam profitentur, & Ec-  
clesiasticos eorum ritus, obtulerant; ita per-  
suasi à subdolo quodam interprete Neo-  
phyto antea Hebræo: Propterea dimissi, re-  
infecta, abierunt.

Quod cum in eorum reditu Patriarcha  
postea intellexisset, & ex his, quæ Legatis in  
vrbe acciderant, cognouisset negotium eo-  
rum imprudentia perturbatum inuersum-  
que fuisse, statuit inuito cum Episcopis suis  
consilio denuò Legatum mittere, qui non  
tantum officia obedientiæ atque obseruan-  
tiæ summo Pontifici debita præstaret; sed  
rationem fidei, quam Chaldæi profitentur,  
redderet: & si error aliquis in eorū profes-  
sione reperiretur, correctionem humiliter  
ab eo postularet. Legatio demandatur *Adamo*  
feu *Adamo* Archidiacono Camerae Patriar-  
chalis, monachorum Chaldæorum Archi-  
mandritæ, viro docto & prudenti.

Is ad



Is ad urbem, anno tertio à discessu priorum Legatorum, venit, & Paulo V. Papæ literas Patriarchæ sui reddidit, & cum illis fidei professionem, atque commentarium à se iussu Patriarchæ sui compositum, de conciliatione dogmatum Chaldæorum cum fide Catholica; postulauit que summa animi demissione, vt cuncta diligenter examinarentur expenderentur que, & pro necessitate salutis eorum confuleretur.

Epistola Eliæ Patriarchæ Babylonij ad Paulum V. & alia eò spectantia exstant apud Petrum Strozam lib. citato.

Adamo autem ad suos redeunti ab eodè Pontifice, presbyteri duo ex Societ. Iesu, Ioannes Ant. Marietius, & Petrus Metofcita, viri docti ac pij, sunt adiuncti: vt in Babylonica Ecclesia vniuersa reducenda omnes animi vires intenderent: vt narrat Nic. Godignus lib. I. de rebus Abassinorum.

## CAPVT VII.

## DE ARMENIIS.

**A**Rmena natio, longè copiosissima, duobus Patriarchis primarijs subijcitur: quorum vnus est Armeniæ Maioris, residens in monasterio *Ecmeaz* in prope opidum *Eruan* in Persia: al-

K ter



ter autem Armeniæ Minoris, residens in opido *Sis*, in Cilicia, hodie dicta *Caramania*, sub Turcarum imperio. Alij insuper Primates seu Patriarchæ nationis Armenæ, fauore Turcarum creati reperiuntur, vt in vltimis Persiæ finibus, atque in ipsa etiam vrbe Constantinopolitana: sunt quæ ferè exactores tributorum, quæ familia Armenicæ Turcis soluere coguntur, & quandoque Patriarcham Armeniæ Maioris, pro suo superiore, nolunt agnoscere. Familix, quæ Patriarchæ maioris Armeniæ subsunt, excedunt numerum centum & quinquaginta millium, præter monasteria plurima, Episcopos in ciuitatibus *Berlit*, *Caramit*, *Angur*, & alijs quàm plurimis; sacerdotes item monachos & diaconos per multos.

Patriarcha verò Minoris Armeniæ habet sub sua obediētia XXIV. Prælatos, Episcopos & Archiepiscopos, familiarū verò circiter viginti millia, in ciuitatibus castellisq; Syriæ & Ciliciæ agentia, præter cœnobia monachorum, sacerdotes clericos & diaconos quàm plurimos. Huius nationis Patriarcha Azarias professionem fidei à Leonardo Abele Episcopo Sidoniensi sibi propositam amplexus est, subscriptamque cum epistolis suis ad Gregorium XIII. Romam transmisit.



Speçtat autem electio Patriarchæ Minoris Armeniæ ad XII. Episcopos, ceteris dignitate superiores, viciniorefque Ecclesiæ Patriarchali. Quandoque tamen à populo Armeno, fauore & iussu Præfeçtorum Turcicorum, Patriarchæ creantur: & postmodum ab Episcopis & Archiepiscopis consensum obtinent. Viuit autem Patriarcha ex oblationibus & Eleemosynis: antiquitus autem ex quaquedomo Maidinum (qui tertia pars vnus Iulij seu Regalis est) quotannis recipiebat, qua pensione ipsum Turca priuauit. Hodie ex continuis suæ nationis visitationibus, ac multâ delinquentium, se suosque ferè alit.

Habent autem & Armenij, sub ditione Regis Poloniæ commorantes, proprium sibi Metropolitam seu Episcopum, Leopoli, in Russia residentem: vt Mart. Cromerus tradit, & nos suprà lib. I. explicuimus.

De Armeniorum veteri ac moderno statu, deque eorumdem erroribus, vide Notitiam nostram Episcopatum lib. I. c. 17. & sequenti.

Exstat Professio fidei Catholicæ, characteribus Armenicis Romæ edita. Est autem lingua Armenica propago Hebraicæ.



## CAPVT VIII.

## DE FRANC-ARMENIS.

**A**D Armeniorum conuersionem anno 1337. temporibus Ioannis XII. Papæ, missus est B. *Bartholomeus Parisius* Bononiensis, Ord. S. Dominici Sodalis, & primus Archiepiscopus Nexiuanensis, qui non sine opinione sanctitatis defunctus, quiescit in Carnâ opido ac monasterio sui ordinis. Ab isto Bartholomeo, eiusque socijs, Armeniæ Maioris incolæ doctrinam Orthodoxam hauserunt, quam hodieque retinent, ideoque Franc-Armeni nuncupantur. Turcæ enim Persæ, alijque Orientis populi, Christianos homines Europæos vulgò Francos nominant. Sunt autem Franc-Armenorum hodieque multa millia, quibus Archiepisc. Nexiuanensis præest, qui (ut & alij omnes illius prouinciæ sacerdotes ac monachi) institutum S. Dominici sequitur. Opida quæ Franc-Armeni incolunt, sunt ista, *Nexiuanum, Abbaranum, Abbragonum, Carna, Saltach, Hascassen, Meascen, Carsan, Xhabunis, Giabug, Caragus, Chensug & Artach*: quibus in opidis monasteria non pauca Dominicani sodales habent. Nexiuanensis basilica Archiepiscopalis in Mosqueam per Mahumetanos est cõuersa: ideoque solet Archie-



chiepiscopus residere in æde ac monasterio Abbaranēsi, quod diei vnus spatium à Nexiuano distat. Fuit autem Nexiuanensis basilica cathedralis, S. Thomæ Apostolo sacra. Ad cuius Ecclesiæ Archiepiscopatum à Clemenēte VIII. anno M. DC. IV. promotus est *Azarias Fridonius*, natione Armenus, Ordinis S. Dominici, qui confirmationis obtinendæ caussa ex Armenia in Urbem venerat. Nexiuanum porrò situm est in Armenia maiore, sub ditione Persarum.

## CAPVT IX.

DE MELCHITIS, SEV GRÆCIS  
*Schismaticis.*

**M**elchitæ dicuntur à vocabulo *Melech*, quod Regem seu Principem sonat, eò quòd isti in negotio Religionis olim soliti sint sequi exemplum & auctoritatem Imperatorum Constantinopolitanorum. Huius generis sunt Græci omnes, qui per Asiam ritus Græcorum obseruant, quiq̃ Patriarchis Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino & Ierosolymitano parent. Ex his Antiochenus nõ Antiochiæ, sed Damasci residet.

Quatuor isti Patriarche, vt vocant, Melchitæ solent ab Episcopis prouinciarum



eligi, & à Turcarum Imperatore confirma-  
ri, vt suprà lib. I. capite 57. diximus. Ij Me-  
tropolitanos & Episcopos sibi subditos  
creant: vt ceteri ferè omnes Patriarchæ na-  
tionum Orientalium.

Sunt autem omnes isti Melchitæ Anti-  
stites, tam Patriarchæ quàm Episcopi, Or-  
dinis S. Basilij monachi, adeoque coelibes.  
Cuius quidè instituti monasteria per Græ-  
ciam totumque Orientem sunt longè plu-  
rima; inter quæ eminent cœnobia S. Sabæ  
in Ierusalem, & S. Catharinæ in Sina mon-  
te Arabiæ, itemque Montis Athos, quem  
Sanctum vocant.

Melchitæ porrò infecti sunt vetustis  
Græcorum erroribus, quos Concilium Flo-  
rentinum aliaque damnarunt: & constitu-  
unt nationem longè numerosissimam inter  
omnes Christianas Orientales. Occupant  
enim non modò Græciam, sed etiam Asiam  
minorem, Syriam, Aegyptum, vicinasque  
Prouincias.

Solent etiam inter Melchitas nume-  
rari Georgiani, Mingrelli, Cir-  
cassij, & alij popu-  
li.



## CAPVT X.

## DE GEORGIANIS.

**G**eorgiani, veteribus Iberi Asiatici, olim agnoscere solent Patriarcham Constantinopolitanum: sed hodie ab eo sunt alieni, utpote inter Persas nunc potissimum viuētes, nec à doctrinā Ecclesie Romanę valde abhorrētes. Subsūt varijs Principibus ac dominis. Inter alios fuit Alexāder Cainus, qui cum tribus hominū millibus iuuit Persarum Regē ad Taurisium Medorum urbē, aliāq; opida anno 1604. Turcis eripienda. 1604. Vitriacus Hist. Orient. cap. 80. scribit eos nūcupari Georgianos, eò quòd S. Georgiū, quem in prælijs suis cōtra gentem incredulam habent Patronum, summa cū reuerētia colant, & præ alijs Sanctis specialiter honorent. Addit eosdem, in confinio Persarum, Medorum & Assyriorum commorari, & Græcorum idiomate in scripturis diuinis uti, Græcorumque consuetudines in Sacramentis obseruare. Habent ijdem suos hodie Episcopos, ac monachos: ut ex Relationibus Augustinianorū è Persia missis didici. De Georgianis vide plura in Relationibus Ioannis Persæ, Madriti Hispanicè editis anno Christi 1608.



## CAPVT XI.

## DE TARTARIS.

**T**artari siue Tatari, per vastas Scythiæ solitudines ad Septemtrionem porrectas habitant in Europâ & Asiâ: quibus vnus olim Chamus siue dominus, nunc plures, scisso imperio, dominantur. De his fusè Thuanus hist. lib. 67. agit. Sunt qui tradunt, *Anselmum*, ordinis S. Dominici, & *Odoricum*, Ord. S. Francisci, anno 1247. ab Innocentio IV. missos fuisse ad Magnum Chamum, Catai dominum. Inter Tartaros Cumanos sunt hodieque plurimi homines Christiani ritus Latini, à quibus *Marcus Antonius Spinola*, patriâ Tartarus, sed origine Geneuensis, patrum memoriâ ad Stephanum Batorium Poloniæ Regē missus est.

1305. Tartaros Religionem Christianam seriò amplexos lego, tempore Nicolai IV. in Concilio II. Lugdunensi. Lego item à Clemente V. *Ioannem à Monte Coruino*, ord. Minorum, circa annū M. CCC. V. Tartaris datum Archiepisc. Cambaliensem.

Ad *Cataium* quod attinet, id hodie regnum est Chinense: *Cambalu* autem hodie Pequinum dicitur, *Quinzay* verò Nanquinum;



num; vrbs vtraque regia hodie Sinarum, seu Chinenſium: vt tradit Nicolaus Trigautius, libro quinto de rebus Sinenſibus, capite 12.

Apud Sinas certè ſuperſunt hodieque veſtigia Chriſtianæ religionis in ijs populis, quos Crucis adoratores ſeu profeſſores nuncupant, quosque Saraceni & Armenij Iefuinos vocant. Vnde fortaffe conijcere liceat, iſtos Crucis veneratores à Tartariſ Chriſtianis originem traxiſſe. Conſtat namque Tartaros circa annum Chriſti 1200. magnis exercitibus in Sinarum regnum penetraſſe, eodemque tempore Marcum Paulum Venetum huc perueniſſe.

## CAPVT XII.

## DE TVRCIS.

**T**urcarum Imperium latiſſimè patet per Aſiam minorem, Syriam, Aegyptum, magnam Africæ partem, Græciam, Macedoniam, Thraciam, Daciam, Seruiam, Hungariæ partem, aliasque Prouincias. Colunt autem Mahumetanam ſuperſtitionem, quæ circa annum Chriſti 626. initium ſumpſit: de cuius impietate ac vanitate varij ſcripſere.

III Omnibus autem Mahumetanæ ſectæ  
K 5 cul-



cultoribus nota est, ac familiaris lingua Arabica (quæ propago est Hebraicæ) per vniuersum Orientem dispersa: vtpote quam non modò Turcæ, sed etiam Persæ, Mauri, Afri, Aegyptij, Syri, Indi, alijque populi vsurpant.

## CAPVT XIII.

## DE PERSIS.

**P**ersia Asiæ prouincia est amplissima, cuius incolæ Mahumetanam quidem sectam, sed diuersam à Turcicâ sequuntur. Quo fit, vt continua ferè bella Persæ cū Turcis gerant. Xa Aabas Rex Persiæ, anno 1608. Dansbegum virum nobilem, cum literis in Aspain 20. Ian. 1608. datis, vnà cum Antonio Gouzano Lusitano ex ordine Eremitarum ordinis S. Augustini, Romam ad Paulum V. misit, & Prælatum dari petijt, qui præesset loco, *Tres-Ecclesie* nuncupato, vbi residere solet Præsul Armeniorum Christianorum. Exstant literæ dicti Regis ex Persico in Lusitanicum, ac deinde in Latinum ab Henrico Lancelotto, Doctore Theologo eiusdem ordinis S. Augustini, translata, typisque Antuerpiæ publicata. Cæterùm Gouzanus anno 1612. Episcopus iussu Pauli V. consecratus in Per-



Perſiam redijt, magno rei Chriſtianæ bono. Habent autem Eremitæ Auguſtini, itemque Carmelitæ Diſcalceati ſua hodie monaſteria in Aſpaign vrbe Regia Perſarum. Mirkondi Hiſtoriam Perſicam ex ea lingua in Hiſpanicam à ſe translata Petrus Texera Luſitanus anno 1610. Antuerpiæ vulgandam curauit. Scripsere de rebus item Perſicis Petrus Bizarus, Barnabas Brifſonius, & Ioannes Perſa vir nobilis, ex Mahumetano factus Chriſtianus, Madriti in Hiſpania.

## CAPVT XIV.

## DE IVDÆIS.

**A**Nno ſecundo Veſpaſiani Imperatoris capta eſt à Romanis vrbs Ieroſolymitana, eademque incenſa & ſic euerſa, vt non remaneret in ea lapis ſuper lapidem, iuxta prædictionem D. N. Ieſu Luc. 19. Chriſti. Ab eo tempore cœperunt Iudæi magis magisque per orbem diſpergi, iuſto Dei iudicio, ſuntque hodie per Europam, Aſiam, & Africam nationibus omnibus inuiſi, ſine lege, ſine Rege, ſub tributis in ſeruitute viuentes.

Nuſquam plures quàm in Aſia, alijsque Turcici Imperij prouincijs.

Con-



Constantinopoli & Thessalonica viunt multa millia eorum, qui ex Hispania & Lusitania sunt pulsi, idioma Hispanicum retinentes. Breuiter, in omnibus penè emporijs Orientis, vt Cayro, Alexandria, Aleppo, Tripoli, & alijs Iudæos magno numero reperias: vt apud Europæos Venetijs, Romæ, Mantuæ, & passim per Germaniam, Poloniam aliasque regiones.

Ex multis tamen Europæ regnis vario tempore per Christianos Principes pulsi sunt, vt ex Hispania anno 1492. per Ferdinandum & Isabellam Reges: ex Lusitania an. 1497. & sequentibus per Emmanuelem Regem; ex Francia, per Philippos Augustum, Formosum, & Liberalem, Reges; ex Anglia an. 1292. & ex regno Neapolitano an. 1539. per Carolum V. Cæsarem.

## CAPVT XV.

INDIAE ORIENTALIS  
*status.*

**I**Ndia prouinciarum omnium maxima, tametsi propriè dici videtur pars illa terrarum, quam nobilissimus fluuius Indus interfluit, vsus tamen obtinuit, vt etiam ultra Gangem æquè magnum ac celebre flumen, immensi illi terrarum tractus, qui ad  
Sinas



Sinas vsque, & in extremo positos Oriente pertinent Seras, Indiæ nomine censeantur. Porrò vltra Sinas in Serico Oceano, haud procul à continente, ingens cernitur insula, compluribus minoribus adiacentibus: quam nostri vulgo *Iaponem* vocant: Zipangrim antiquis dictam fuisse nonnulli arbitrantur.

His insulis exceptis, cæteras fermè regiones illas, cum alijs opibus tum etiam pretiosissimis aromatibus odoramentisque repletas, constat priscis temporibus, Romano florente Imperio, cum Europæis hominibus & commercijs & hospitio fuisse coniunctas. Traditum est etiam, multas Christiana quondam sacra, tum ab alijs, tum præsertim à duobus eximia sanctitate viris, *Thoma & Bartholomæo*, Domini Apostolis accepisse. Verùm vbi Romani decus Imperij, conspirantibus vndique in ipsum varijs nationibus, concidit, mercimonij vocumque, & litterarum cum illis gentibus communione sublata, Christi cultus atque religio paulatim extincta ac deleta sic est, vt nullum propè ipsius vestigium in illis iam regionibus appareret.

Quò meliùs de Christiana meruisse Republica Lusitani iure putandi sunt, quòd cum terrestri itinere, sine summo vitæ discrimine, ea loca peti non possent, & vix quis-



quisquam reperiretur, qui peregrinatione  
 eiusmodi suscipere auderet; ornatissimis ipsi  
 classibus extima legentes Africæ littora,  
 Bonæ Spei promontorium, ante id tempus  
 penè incognitum, Auream Chersonesum,  
 quæ Malaca dicitur hodie, Taprobanam,  
 quæ Sumatra, Sinas deniq; præteruecti, ad  
 ipsam, de qua diximus, Iaponis insulam, in-  
 genti ausu, summâque animi magnitudine  
 penetrarunt. Iidem Indicæ oræ magna par-  
 te subacta, sinus etiam Persici faucibus for-  
 titer æquè ac feliciter occupatis, Arabici ve-  
 rò nauigatione crebris incurfionibus impe-  
 dita, mercibusque Indicis per Africum atq;  
 Atlanticum Oceanum in Hispaniam auer-  
 sis; non modò Memphitica Turcarum ve-  
 ctigalia grauissimis damnis atque incom-  
 modis affecerunt; sed etiam Christi libera-  
 toris nostri cultum ac nomen apud eos po-  
 pulos, vel numquam ante id tempus audi-  
 tum, vel diuturna vetustate atque obliuione  
 deletum, salutari prædicatione longè late-  
 que propagarunt; adhibitis perductisque se-  
 cum, Summi Pontificis iussu, multis Euan-  
 gelij præconibus, tum aliarum familiarum,  
 tum verò præcipuè Soc. Iesu.

In Indiam porrò Orientalem *S. Thomas*  
 Apostolus Christi doctrinam primus attu-  
 lit, multis incolis ad Christiana castra tra-  
 ductis. Sed horum posteri, cum Saracenis  
 Ethni-



Ethnicisq̄ue permixti, ad impios ritus ac mores paulatim degenerarunt: ad eò quidem, vt ante Lusitanorum aduentum nihil in ea Christianæ penè religionis (opidis vicisq̄; nonnullis exceptis, qui à S. Thoma nomen habent) præter ipsum nomen superesset. Lusitanis itaque in Indiam commigrantibus, & imperio latè propagato, Christi cultus ac reuerentia, per vastissimum illum Asiæ tractum, sese erigere cœpit.

Primi apud Indos, Apostolico, post S. Thomam, munere functi sunt sodales Franciscani: ex quo etiam ordine primus, ac deinde alter Episcopus fuerunt, *Ferdinandus & Ioannes Albuquerque*. Sed ille annularis solum, seu titularis (vt vocant) Episcopus fuit: hic sedem pleno iure constitutam, Pauli III. Pontificis Maximi auctoritate, accepit; Ideoq̄ue primus Indiæ ac Goæ censetur Antistes.

*Primi Episcopi  
Indiæ Orientalis.*

Ex Societate IESU primus *B. Franciscus Xauerus*, Arabiæ ac Persidis oram, cum Ioannis III. Lusitaniæ Regis classe, præteruectus, anno 1542. Goam Indiæ metropolim appulit. De rebus ab eo per Indiam præclarè gestis, *Maffei*, *Orlandinus* & alij fusè scripserunt.

CA-



## CAPVT XVI.

QVI NAYRES, BRACHMANES,  
& Iogues dicantur apud  
Indas.

*Nayres.* **A** pud Malabares, aliosque Indos Orientales, tria ferè sunt hominum genera, *Nayres*, *Brachmanes*, & vulgus promiscuum. Hos inter *Nayres* ceteris honore præstant bello & armis apprimè dediti.

*Brachmanes.* Sequuntur *Brachmanes*, in honore proximi, veri superstitionum magistri. Hi sapientes habentur Indorum, & cæremonias, iustaque funebria suo arbitratu præscribunt, simulant se carnibus abstinere, sed simulant tantùm.

*Iogues.* Inter *Brachmanes* sunt nonnulli, quos proprio vocabulo *Iogues* appellant, posterius vt videtur, *Gymnosophistarum*, Græcis olim celebratorum, qui cœlibem vitam agunt. Nam alij & liberis operam dant, & uxores plures habent, more ceterorum Indorum. *Parabrammam* nescio quem Deum antiquissimum colunt, & ex eo filios tres, quorum in gratiam terna filia gerunt è collo suspensa: quod & ceteri *Brachmanes* omnes faciunt.

Reli-



Reliquum vulgus, vt latomi, fabri, & reliqui opifices eius generis, adeò nullo in pretio sunt, vt pro seruis mancipijsque ducantur, cuius iniuriæ vexationiq; obnoxij.

## CAPVT XVII.

MALABARICA REGNA, ET  
*alia vicina Prouincia.*

**A** Pud Malabares regna sunt varia, vt *Calecut, Cochin, Cananor, Tananor, Badara, Mortingùe, Coilan, & alia.*

Hos inter Reges potentissimus est *Calecut.* *Calecuti* Rex, qui ideo passim vocatur *Samorij*, id est, Imperator. Quo fit, vt & ceteri Reges, etsi sui iuris sint, plurimùm ipsi deferant ac reuereantur.

Hunc penè potentia sequitur Rex *Cochin.* *Cochinensis*, Regis *Calecutani* emulus, & bello sæpè hostis. Sed *Cochinensem* semper tuentur & iuuant *Lusitani* aduersus emulum potentio-rem.

Rex *Cananorensis*, præter terram con- *Cananor.* *Cananor*, insuper possidet insulas triginta ex *Maldiu*: vt tradit *Franciscus Pirardus* in suo *Itinerario*.

*Tanor* siue *Tananor*, maritimū est Pro- *Tananor.* *Tananor* uinciæ *Malabaricæ* opidum (vnde & regnū eiusdem nominis est appellatum) medio fe-

L rē spa-



rè spatio inter Goam & Commorini fines. Pingue solum, orizæ & palmarum ferax; sed incolæ, Aethiopum more, umbelico tenus, nudi ambulant. Rex ipse quamquam Ethnicus, Lusitanis tamen est peramicus, qui in opido Tananor templum habent, ei que præfectum sacerdotem vnum atque alterum è Soc. Iesu. Ij non modò Lusitanorum, sed & Indorum Christo aggregatorum curam gerunt: vt idem Pirardus tradit.

*Ora Piscaria.*

*Parauæ.*

In Promontorij Commorini flexu, ad Eoum latus, *ora piscaria* est, nomen à copioso illic gemmarum piscatu adeptæ. Huius oræ accolæ, gentis vocabulo, *Parauæ* nuncupantur: qui cùm Saraceni cuiusdam Dynastæ tyrannidem diutiùs ferre non possent, hortante Ioanne Crucio, viro nobili, & Equite ordinis Christi, Lusitanos aduocarunt, & suauè Christianæ legis iugo se subdederunt. Baptizati itaque mox è populo vniuerso ad viginti millia.

Ceterùm in excolendo longissimo illo Cómorini tractu, triginta amplius opidis vicisq; distincto, egregiè postea B. *Franciscus Xauerus*, *Antonius Criminalis*, *Henricus Henricus*, & alij è Soc. Iesu desudarunt. Xauerus quidem Tutucurini agens, Carechismi summam Malabaricè (quæ lingua regioni vernacula est) primus conuertendam curauit.

CA-



## CAPVT XVIII.

DE CEILANI INSULAE  
statu.

**C**Eilanus insula ditissima, ex opposi-  
to Commorini Promontorij sita est:  
cuius insulae Dynasta quidam prima-  
rius, Regis filius natu grandior, anno circi-  
ter 1544. cum Lusitanorum hortatu Chri-  
stianus fieri decreuisset, ab impio Rege pa-  
rente, cum alijs septingentis, est interem-  
ptus. Post eam caedem visae sunt Cruces duae,  
vna in caelo ignea, altera in hiatu terrae, vbi  
patrata caedes erat: quarum hanc cum bar-  
bari, ingesta saepe terram, opprimere conaren-  
tur, eadem tamen semper emicuit. Quo  
prodigio complures sunt permoti: Regis  
autem filius natu minor, cum consanguineis  
aliquot & proceribus alijs, ad Christi ouile  
accessit, & Goam ad Lusitanos transijt, o-  
pem contra paternam saeuitiam imploratu-  
rus. Sed praecclaros adolescentis conatus  
mors interueniens abruptit.

Anno 1548. Candensis Rex, eadem in in-  
sula, Christi & Lusitanorum imperio se  
submit, agente B. Francisco Xauerio.

Sunt aut in Ceilano insula Reguli diuer-  
si, quorum alij sunt Christiani, cum suis

L 2

sub-



subditis, alij gentiles, aut Mahometani, cum quibus Lusitani ferè habent bella.

In ea insula duæ sunt arces seu opida Lusitanorum, egregiè munita, *Columbo & Sal-le*. In priore habent Patres Soc. Iesu Collegium, Columbensè hinc dictum, cum VII. Residentijs, vt vocant, seu domicilijs minoribus illi annexis.

## CAPVT XIX.

DE CHRISTIANIS S. THOMAE,  
*in India Orientali.*

**I**N regione, quam *Choromandel* vulgò nuncupant, sita est *Meliapora* ( vt indiginæ loquuntur) vrbs copiosa ac frequens, quæ *S. Thomæ opidum* hodie Lusitani appellant, in ora Indiæ maritima Eoi lateris, Goano obiecti. Visitur hîc templum S. Thomæ Apostoli percelebre, quod ipse ex Idolorum fano in veri Dei Basilicam conuertit, nõ Christianorum modò peregrinorum, sed etiam Ethnicorum ac Barbarorum frequentia hodieque nobilem: vbi proximo in colle cæsus, & sepulturæ mandatus Apostolus traditur. Cernitur & hîc saxum eiusdem Apostoli cruore respersum, quod triduo ante ferias Apostolicæ mortis, inter Missæ solennia rubescit, cum ipsum natura sua candidum sit,  
& san-



& sanguineo velut rore, quamdiu diuina res agitur, stillat; quâ peractâ ad veterem candorem suum redit.

Cæterùm Meliapura Episcopum hodie habet, Goano Archiepiscopo suffraganeū. Quæ quidem vrbs tametsi frequens à Lusitanis incolebatur, ad nostram tamen vsque ætatem Regi Bisnagæ paruit, illique tributa pendit. Habebat is arcem munitissimam, vrbi imminentem, cum præsidio mille circiter quingentorum militum. Eam seruitutē, aliaque indigna, quæ à ministris Regis patiebantur, nō ferentes Lusitani, intenti in omnem libertatis occasionem, ciuilia pro regni successione bella minimè neglexerunt, & anno circiter Christi 1615. arcem obsederunt atque expugnatam Proregi Indiarum, Regis nomine, tradiderunt, vnâ cum pagis adiacentibus triginta. 1615.

Præter Meliaporam, inhabitant veteres isti Christiani Thomæi insuper *Cranganoram, Negapatenum, Vaipicotam, Angamalam*, aliaque opida vicina. Sacra sua idiomate Chaldæo celebrant.

In vrbe Angamala solet residere ipsorum Metropolitanus, quem Patriarcha Babylonicus Chaldæus ipsis dare & confirmare consueuerat. Sed Patrum Societatis Iesu in primis diligentiam (qui Meliaporæ & Vaipicotæ sua habent Collegia ac seminaria) ma-



ior eorum pars, Nestorij aliorumque erroribus relictis, ad communionem Ecclesie Romanæ postliminio redijt: defunctoque annis superioribus Metropolitano Chaldæo, successorem illi Archiepiscopum Angamalsensem Clemens VIII. Papa constituit vnum ex Soc. Iesu. Ita tradit Petrus Stroza, in sua Disputatione de Chaldæorum dogmatibus, Coloniae anno 1617. edita.

## CAPVT XX.

DE MALACA, INDIAE  
*emporio celeberrimo.*

**M**alaca vrbs frequenti emporio nobilis, vltra Gangem fluiuium, in Aurea Chersoneso sita, ab æquinoctiali linea duobus fermè gradibus, Septemtrionem versus, abest. Gaudet imbribus ferè quotidianis, quibus & nimius solis æstus temperatur, & terra perpetuò virefcit. Ex quo liquet, veteres olim Philosophos errasse, qui regionem hanc torridam nequaquam habitabilem esse crediderunt. Hàc in Sinarum regnum, & Iaponiam, hàc ad Molucas, Bاندam, Iauam, aliasque Indiae insulas nauigatur.

Episcopum hodie habet Malaca, Goano Archiepiscopo suffraganeum, Collegium  
item



item insigne Soc. Iesu, variorumque ordinum monasteria non pauca.

Cæterum, hortante B. Francisco Xaverio, Malacæ primùm est institutum, ut sub primas quotidie tenebras vir aliquis urbem totam perambulet, læuâ lucernam, dexterâ tintinnabulum circumferens, qui inflexo ad commiserationem vocis sono, sui cunctos officij & precationum pro defunctis recitandarum admoneret. Is postea mos ab urbe Malaca in omnem Indiam, extremumque Orientem profectus, etiamnum viget, ingenti viuorum mortuorumque comodo.

## CAPVT XXI.

COLLEGIA SOCIETATIS IESV,  
*in India Orientali.*

**Q**Vàm latè diffusa sit Religio Christiana per Indiam Orientalem, facilè quiuis intelliget ex Catalogo Collegiorum Soc. Iesu, ibidem existentium, quæ duas in Prouincias sunt distincta, Goanam & Malabaricam.

\*\* \*\*  
\*\*

L 4

PRO



## PROVINCIA GOANA.

Goæ	} <table> <tr><td>Domus Professa.</td></tr> <tr><td>Collegium Goanum.</td></tr> <tr><td>Domus Probationis.</td></tr> </table>	Domus Professa.	Collegium Goanum.	Domus Probationis.	} Goa.
		Domus Professa.			
		Collegium Goanum.			
Domus Probationis.					
Colleg. Salsetanum cum XI. Resid.	Salsete.				
Collegium Chaulense.	Chaul.				
	Collegium Tanaense cum suis Resid.	Tana.			
	Colleg. Baçainense cum suis Resid.	Baçaym.			
	Residentia Taraporensis.	Tarapor.			
	Collegium Damanense.	Daman.			
	Collegium Diense.	Dio.			
	Residentia Aethiopica.	Ethiopia.			
	Residentia Mogorensis.	Mogor.			
	Collegium Mozambiquium.	Mozambique.			
	Residentia Senensis.	Sena.			
	Residentia Terensis.	Teti.			

*Sunt in hac Prouincia Socij 280.*

## PROVINCIA MALABARICA.

Colleg. Coccinense cum V. Resid.	} Cochin.
Domus Probationis.	
Collegium Cranganorense.	Cranganor.
Seminarium Vaypicotatum.	Vaipicota.
Collegium Coulanense.	Coulam.
Collegium Tutucurinese cum Residen- tijijs.*	Tutucurim.
Residentia Madurensis.	Madurè.
	Col-



Colleg. Columb. cum VII. Resid. *Columbo.*Collegium Nagapatanum, inchoatum. *Nagapatan.*Collegium S. Thomæ. *S. Thomè.*Collegium Peguanum inchoatum. *Pegù.*Colleg. Bengalense inchoatum. *Bengala.*Collegium Malacense. *Malaca.*Domus Ternatensis cum Residentijs Molucensibus. *Maluco.**Sunt in hac Prouincia Socij 150.*

## CAPVT XXII.

## ARMVZIAE REGNV M.

**A**Rmuzia, vulgò *Ormus*, vrbs est emporio clarissima, quæ & regno nomen dedit, & modicæ, in qua sita est, insulæ, ad ostium Sinus Persici. Caput regni, vbi Turcarum sedes est, *Bazoia* dicitur. Sed in ipsa vrbe Armuzia Rex habitat, olim potentissimus, nunc Catholici Regis stipendiarius.

Ipsa insula etsi sterilitate sit infamis, loci tamen situsque oportunitas (quòd Persici finis, vt dixi, ostium obfideat, qua totius ferè Orientis mercimonia commeant) vr-  
bem Armuziam in summam celebritatem frequentiamque adduxit; Iudeis Mahome-  
L 5 tanis,



tanis, Abassinis, Armenis, Georgianis, alijs-  
 que variarum nationum Christianis atque  
 Ethnicis, eò mercaturæ causa confluenti-  
 bus.

In vinea Armuziana excolenda annis  
 aliquot strenuè laboravit Gaspar Berzæus,  
 Belga, Goufæ in Zelandia natus, Societ. Iesu  
 sacerdos sanctissimus: cuius vita resque per  
 Indiam gestæ exstant peculiari libro expli-  
 catæ.

## CAPVT XXIII.

## DE MOGORENSI IMPERIO.

**I**Nter Indorum Principes facilè potentis-  
 simus est Rex Mogorû, cuius imperio quâ  
 plurimæ subsunt prouinciæ, longè late-  
 que diffusæ. Lustrauit eas magna ex parte  
 Benedictus Goefius Lusitanus, Societ. Iesu,  
 itinere terrestri ex Mogor in Sinas vsque  
 instituto. Itinerarium istud legitur apud  
 Nic. Trigautium lib. 5. de rebus Sinensibus  
 cap. II. & seq.

In regia Mogorum vrbe Patres Societa-  
 tis Iesu Residentiam habent, ab ipso Rege  
 Achabar nomine, alijsque amicè semper  
 habiti.



## CAPVT XXIV.

## MALDIVAE INSVLAE.

**M**aldiuarum insularum (quæ modicæ sunt, & quarum aliquot millia numerantur) caput est Maldiuæ, vulgò *Male*, regni sedes: vnde & cognomen ceteris. Has in primis genus palmæ nobilitat; cuius ex fructu (coccum vel nucem Indicam appellant *Lufi ni*) præter alios vsus complures, cannabinum quoddam fartum extrahitur, cui nomen *Carum*, ad rudentes ac funes nauticos pertexendos præstantissimum.

Harum insularum incolæ sunt professione Mahometani, nec habent opida vlla muris clausa.

Cæterum *Affan* Rex Maldiuanus anno ferè 1551. Cocinum, & inde Goam cum venisset, Christianæ Legis admiratione captus ab impio Mahomete ad Christi castra se transfudit. Cuius hæres legitimus *Philippus*, professione Christianus, hodieq; viuit Goæ, titulo Regio gaudens, & parte vectigalium sui regni, quæ Rex Maldiuarum Mahometanus (nam alium sibi Regem insulani iã olim constituerunt) quotannis Goam transmittit; iuxta pacta, interuētū Lusitanorum, à multis retrò annis inita.

*Rex Maldiuarum Christianus viuit Goæ.*

Ma-



Mahometanus porrò Rex Maldiuanus scribit se Regem tredecim prouinciarum, & duodecim millium insularum. Nam in XIII. Prouincias situ locorum discretas (vulgò *Atollons*) Maldiuæ distinguuntur: & Maldiuani dicunt duodecim ferè insularum millia sese possidere, minutilis quibuscumque connumeratis, quæ sunt innumerabiles.

*Sultani  
qui,*

Rex idem Mahometanus titulum Sultani, id est, Supremi vsurpat, quo inter Mahometanos non nisi Principes quinq; gaudent, nimirum Turca, Persa, Mogor, Rex Maldiuarum, & Rex Sumatræ seu Acheni.

Hæc & alia fusiùs narrat in suo Itinerario Gallicè anno 1615. Parisijs edito, Franciscus Pirardus, Francus, qui annis aliquot vixit in insula *Male*, quæ aula est Regis Maldiuani, vt suprâ commemorauimus.

Idem tradit ex Maldiuis insulas triginta Regi Cananorensi (qui vnus est ex Regibus Malabaricis, in promontorio Commorino) parere.





## CAPVT XXV.

## DE MOLVCIS INSVLIS.

**M**Olucæ insulæ sunt plurimæ , sed modicæ, AEquatori subiectæ, aromatum ac præsertim Cariophylli admodum diuites. Præter Christianos, incolæ partim sunt Ethnici, partim Saraceni: frequentes insuper sunt aduenæ variarum nationum , qui commercij causâ vltro citroque commeant.

Has inter insulas præstat *Ternate* , quæ *Ternate*. urbem habet insulæ cognominem , cum arce à Lusitanis excitata. Dynasta Ternatensis, professione Saracenus , Regi Catholico est stipendiarius.

Amboinum insula, circuitu millia passuum amplius octoginta complectitur , & vicis frequentibus habitatur. Habet & hîc præsidium militare Rex Catholicus. *Amboina*

## CAPVT XXVI.

## DE MACAZARIAE REGNO.

**M**Acazaria insula ingens , à Molucis in ortum Solis, leucas circiter quinqua-



quaginta distans, trecentas fermè ambitu colligit. Gens est bellicosa nulla habens Deorum fana, nec præter Solem, cui cœlestes honores tribueret, numen vllum: eoque magis idonea ad veri Dei cultum amplectendum. Anno 1544. duo ex Macazariæ regno dynastæ, cum alijs plurimis, per Antonium Paiuam, mercatorem Lusitanum, ad Christi castra sunt adducti.

Annis proximè insequentibus, B. Franciscus Xauerius, in Macazariensium salute procuranda feridò laborauit, & Catechismum Latinum in vernaculam ipsorum linguam conuertit.

## CAPVT XXVII.

## SINENSIS REGNI STATVS.

**E**Xtremum Sinarum in Oriente Imperium, iam inde à temporibus Ptolomæi *Sina* dicitur, à Lusitanis, & alijsque Europæis hodie *China* vulgò nuncupatur. A Marco Paulo Veneto, qui circa annum Christi 1200. totum penè Orientem lustrauit, *Cataium* indigetatur: quod nomen & Saraceni ad occasum huic regno tribuunt.

Quod ad amplitudinem spectat, regnum istud seu potius Imperium, ad Austrum



strum incipit in gradu nono supra decimum eleuati supra horizontem poli, in insula, quam ipsi *Hainam* vocant, & excurrit in Septentrionem ad secundum & quadragesimum, ad Boreales illos muros, quibus Sinæ à Tartaris ac Scythis suum imperium separant ac tuentur. In longum incipit à centesimo duodecimo, ab insulis fortunatis, in prouincia Iunanensi, & in centesimo tricesimo secundo, mari ad Solis ortum terminatur.

Errarunt itaque nostri æui Scriptores ac Geographi hæctenus, qui ad tertium supra quinquagesimum illius limites protulerunt.

In Sinarum regno duæ sunt prouinciæ curiales ac sedes Regiæ; *Nanquinum*, quod *Nanquin.* Regiam Australem, & *Pequinum*, quod *Pequin.* Borealem sonat. Præter has sunt aliæ tredecim prouinciæ seu potius regna. In his quindecim regnis vrbes maiores 247. *Cheu* nuncupatæ, vulgares verò reliquæ 1132. *Hien* dictæ, continentur. Rex autem Pequini plerumque commoratur: quem vnicum habent Sinenses.

Pequinum olim *Cambalu*, Nanquinum verò *Quinzaij* nuncuparunt Tartari, qui *Cambalu?* *Quinzaij.* temporibus M. Pauli Veneti, magnam partem regni Sinenfis occupauerant, & nomina mutauerant.

Sinæ



Sinæ porrò pacis quàm belli artibus sunt aptiores, & cæterarum nationum mutuos congressus fugiunt, easque terrore mortis iniecto, à suis finibus ferè arcent.

Plurima item habent gymnasia seu Academias, ex quibus ij ad ciuitatum ac prouinciarum gubernacula deliguntur, qui ceteris eloquentia, ac iuris prudentia præstant.

*B. Frãciscl  
Xauerij  
obitus.*

Christianam apud Sinas expeditionem primus aggressus est Beatus Franciscus Xauerius, vir verè Apostolicus: sed anno 1552. ad vitam meliorem à Deo euocatus, Sinas ingredi non potuit. Obijt autem in ipso itinere, quod ad Sinas instituerat, in Sancia-no insula, leucis triginta à continenti regni Sinarum distante: quò per id tempus, commercij causâ, soliti erant Lusitani & Sinenses commeare, ante opidi Amacaensis exstructionem.

Tentatam à Xauerio expeditionem subsequenter annis prosecuti sunt eiusdem Societ. Patres, domicilio primùm fixo in peninsula & vrbe *Amacaensi*. Inde *Scianquinum* anno 1582. est processum, ac de- mum *Pequinum* & *Nanquinum*: in quibus vrbibus illustra hodie Collegia Societas Iesu habet.

*Matthæo  
Ricciu.*

Præ cæteris autem P. Matthæo Riccio,  
natio-



natione Italo, expeditionis Sinicę felix successus referri debet acceptus, qui annis fere xxx. in eâ exactis, ibidem piè in Domino obdormiuit, Pequini anno 1610. in palatio suburbano, à Rege Sinarum Societ. Iesu in usum Collegij attributo, conditus.

Scripsit idem Riccius Italicè de Sinensis Ecclesię primordijs, ac progressu cõmentarium, quera libris V. Latinum reddidit P. Nicolaus Trigautius, Belga, Duacensis. Huc ex Sinis in Belgicam nostram annis superioribus reducem, non semel de rebus Sinensibus differentem magna cum voluptate audiimus. Idè anno 1618. ex Lusitania versus Sinas solués, socios plurimos ex Europa secũ auexit: vt nihil dicã de bibliotheca amplissima, horologijs, monilibus, picturis, alijsque Europę mirabilibus, à Paulo V. Papa, & varijs Principibus dono acceptis, quę secum asportauit, Regi ac proceribus Sinensibus cum fructu rei Christianę, vt speramus, amplissimo, offerendis.

Cæterum ab ipso S. Thoma Apostolo doctrinam Christianam in Sinas olim inuectã fuisse, ex codicibus Chaldæis orę Malabaricę, eiusdem Apostoli prædicationibus illustratę colligitur. Id enim disertè traditur in Breuiario Chaldæo Ecclesię Malabaricę his verbis: *Per D. Thomam euauit error idolatrię ab Indis: per D. Thomam Sina & AE-*

*In secũdo  
No. Et rno  
Offic. j. D.  
Thomæ.*

M

thio-



thiopes conuersi sunt ad veritatē: per D. Thomā  
baptismi Sacramentū acceperūt & filiorū ado-  
ptionē: per D. Thomā crediderūt & confesi sunt  
Patrē, & filiū, & spiritū sanctum. Per D. Thomā  
acceptā seruauerūt fidem vnius Dei: per D. Tho-  
mam doctrina viuifica splendorē orti sunt vni-  
uersae Indiae: per D. Thomam regnum caelorum  
volauit, & ascendit ad Sinas.

Deinde in quadam antiphona sic habe-  
tur: Indi, Sina, Persae, & ceteri Insulani, & qui  
in Syria, Armenia, Graecia, & Romania, in com-  
memoratione D. Thomae offerunt adorationem  
nomini tuo sancto.

In Summa verò Canonum Synodaliū  
parte 2. sermone 6. cap. 19. de Canonibus  
constitutis super Episcopos & Metropolita-  
nos, simul habetur Canon Theodosij Pa-  
triarchae in haec verba:

Haec sex sedes capita prouinciarum & Me-  
tropolitae, videlicet Hilam, Nziuin, Prath, Af-  
sur, Bethgarmi, & Halah, qui digni habiti sunt,  
vt ordinationi Patriarchae interueniant, nec  
absunt, vt alij quarto quoque anno apud Patri-  
archam conueniant. Sic etiam Episcopi magna  
Prouinciae, nimirum reliqui Metropolitae, China,  
India, Pases, Mauzeorum, Xam, Raziqueorū,  
Herione (haec est Cambaia) & Smarcandia  
(haec est Mogor) qui longissimè absunt, nec va-  
stissimi montes & turbulentissima maria per-  
mittunt eis transitum, ad libitum, mittant lit-  
teras



teras confessionis ( id est communionis ) ad Patriarcham semel sexto quoque anno. Quando verò Lusitani Cocinum appulerunt, regebat hanc ecclesiam Malabaricam D. Iacobus, qui sic scribebat, *Metropolita India & China*; ut constat etiam ex eiusdem MS. noui Testamenti codice, ubi in calce sic habetur: *Scripti hunc librum D. Iacobus Metropolita India & China*. Eodem modo D. Ioseph post prædictum D. Iacobum, qui Romæ diem obiit, sic subscribat: *D. Ioseph Metropolita totius India & China*. Ita Tr. gautius lib. I. cit. cap. vltimo.

## CAPVT XXVIII.

DE CAUCHINCHINAE REGNO  
*apud Sinas.*

**C**Auchinchinæ regnum, Chinensi imperio vectigale, eidem adiacet, & octo plus minus dierum nauigatione abest Amacao, opido celebri, Lusitanorum apud Sinas statione. Incolæ caracteribus vtuntur Sinenfibus, vestitu eodem, ac penè eodemq; gubernandi modo. Rex ipse Cauchinchinæ, per Lusitanos mercatores, anno 1615. Patres aliquot Societatis Amacao euocauit: quibus facultatem dedit templa exstruendi, Christi q; doctrinam prædicandi, & subditis acceptandi. Plurimi itaq; mox baptizati sunt, atq; in ijs Magistratus, alijq; primores nō pauci.

M 2

COL-



COLLEGIA SOCIET. IESV, IN  
Regno Sinarum.

Collegium Pechinense inchoatum. *Pequim.*  
 Collegium Nanchian. inchoatum. *Nanquim.*  
 Residentis Xauchenfis. *Sciuceo.*  
 cum duabus alijs Residentijs.

*Sunt in hoc Regno Socij 30.*

Anno 1619. accesserunt Socij plures, post  
 R. P. Nicolai Trigautij ex Europa in Si-  
 nas reditum.

## CAPVT XXIX.

## DE IAPONIAE REGNIS.

**I**Aponiæ nomine in extrema Asia cõplu-  
 res insulæ sũt, modicis inter se fretis dis-  
 cretæ: quas inter tres numerãtur magnitu-  
 dine præcipuæ, *Niphon, Ximus & Xicocus.* Ni-  
 phon tribus & quinquaginta regnis seu Pre-  
 fecturis cõstat, quarum caput est vrbs *Mea-*  
*cum*: vnde nonnulli reliquæ regionidant  
 nomen. Ab Niphone vocabulo, quod Sinae  
 paululum mutarunt, Iaponis & Iaponiæ no-  
 men apud Europæos innotuit.

Ximus regnis nouem d̄stinguitur, & vr-  
 bes illustriores habet *Vsuquin & Funaium*  
 in regno Bungenfi, in Saxumano autem  
*Cangoximam.*

Xicocus regna non nisi quatuor conti-  
 net:



net: atq; ita Iaponiæ regna seu potius Præfecturæ vniuersæ sex & sexaginta numerantur. Regio autem vniuersa Italiæ magnitudine seè par censetur.

Vni olim Regi parabat, quæ *Vo* seu *Dayrim* appellant: sed regno seu imperio à Dynastis perduellibus in partes distracto, inane penes eum nomen imperij mansit.

Potentissimus hodie inter Iaponiæ regulos habetur is, qui *Meacum* & regna finitima occupat, quem *Cubucaman* vulgò nuncupant.

*Dayris*.  
*Dayris* porrò id hodieq; iuris obtinet, vt quidam quasi Præfectus ut honoris ac gloriæ, cuius Iapones natura sunt audivissimi. Eius vnus in Iaponia tota iudicium est, quibus quisq; titulis sit honestandus ac decorandus. Quo fit, vt apud *Dayrim* singuli Dynastæ suos habeant Procuratores, & muneribus inter se certent, ad illius gratiam obtinendam.

Religionum Magistris & sacerdotibus vtuntur ijs, quos *Bonzios* nuncupant, flagitioso hominum genere, etsi miram abstinentiam præ se ferant. Ex ijs vnus est supremus superstitionū *Antistes*, qui copiosis vestigalibus fruitur, & *Meaci* domicilium habet: intra quod *Idola* sex & sexaginta supra trecenta numerantur. Hunc sua lingua *Ninxit* appellant, Ad eundem spectat creare *Tundos*,  
*Bonzij.*  
*Ninxit*  
*Antistes*  
*supremus.*



182 DE STATV RELIG. CHRIST.  
dos, qui sunt velut Episcopi, aut creatos à  
Regulis confirmare.

CAPVT XXX.

COLLEGIA SOCIETATIS IESV  
in Iaponia.

**A** Pud Iapones primus Euangelicam  
doctrinam Cangoximæ & alibi pu-  
blicauit B. *Franciscus Xauerus*, Socie-  
tatis IESV Presbyter sanctissimus, potesta-  
te edicto que ad id publico à Rege Saxuma-  
no anno 1549. impetrato: iam autem Patres  
1549. Societatis IESV adeo ibidem aucti, vt ijs  
in regnis multa habeant Collegia, ac Semi-  
minaria, vt ex subiecta syllabo pate-  
bit.

IN IAPONIA PROVINCIA  
vna.

Nanga- } Col. Nangaschiense.	} Nanga- sachi. } Vracami. Toni. Fudoyama. Isfay.
fachij } Domus Probationis.	
Residentia Vracamensis.	
Residentia Tonensis.	
Residentia Fudoyamensis.	
Residentia Isafayensis.	
Collegium Arimense.	} Arima.
Seminarium Arimense.	
Residentia Xiquensis.	Xiqui.
Residentia Cocuræ.	Cocura.
Collegium Meacense.	Meaco. Resi-



Residentia	{ Facatensis.	Facata.
	{ Notcu.	Notcu.
	{ Xinquensis.	Xingu.
	{ Fuximensis.	Fuximi.
	{ Ozacensis.	Ozaca.
	{ Fococu.	Fococu.
Collegium Macaense.	{ Firoximensis.	Firoxima.
		Macao.

*Sunt in hac Prouincia Socij 130.*

Anno 1584. Legati duo nobilissimi, D. *Mancius* & D. *Michael*, à Iaponiæ Regibus, ad obedientiam Romano Pontifici præstãdam, missi, Olisiponem appulerunt, à Sereniss. Archiduce Alberto, tunc Lusitanæ Prorege humanissimè excepti. Qui inde Romam transferunt, & præstita Gregorio XIII. eiusque successori Sixto V. obedientia, demum in Iaponiam redierunt.

## CAPVT XXXI.

## DE PHILIPPINIS INSVLIS.

**L**iceat his subnectere Philippinas insulas, quas in Sinensi Iaponioq; Oceano Castellani, Philippo II. Rege Catholico imperante (à quo & nomen acceperunt) feliciter detexerunt.

Harum maxima est Luzonia, in qua Hispani urbem Maniliam condiderunt. Habet ea urbs Archiepiscopum à Paulo V. constitutum, cui suffragantur Episcopi,

M 4 Noua



Nouæ Segoniæ, aliàs Cagayani.

Nominis Iesu, in insula Zebuensi.

Cacerensis, in Prouincia Camerinenfi & in-  
sula Luzonia.

In Philippinas insulas Patres Eremitæ Augustiniani vexillum Christi primi inue-  
xerunt: habent que in ijs non pauca mona-  
steria, vt & aliorum Ordinum religioso-  
rum sectatores.

Habet ibidem Societas Iesu Collegia &  
Residentias non paucas.

IN INSVLIS PHILIPPINIS  
Prouincia vna.

Collegium Manilanum.		<i>Manila.</i>
Collegium Zebuense.		<i>Zebu.</i>
Domus Prob. S. Petri.		<i>De S. Pedro.</i>
Residen- tia	{ Antipolan.	<i>Antipole.</i>
	{ Taytayensis.	<i>Taytay.</i>
	{ Boolana.	<i>Bool.</i>
	{ Dulacensis.	<i>Dulac.</i>
	{ Carigarenfis.	<i>Carigara.</i>
	{ Tinagonensis.	<i>Tinagon.</i>

*Sunt in hac Prouincia Socij 100.*



DE STA-